

1224 Emsbüren.

Austausch eines **dem** Kloster Vietmarschen gehörenden Erbes zu Wische gegen ein anderes zu Mattenheim (alte Wüst. im Kpl. Emsbüren).

In nomine sancte et individue Trinitatis. Quoniam hominum memoria fragilis est et rerum turbini non sufficit, quoniam etiam generatio preterit et generatio advenit, ea, que apud homines contrahuntur, nonnunquam veniunt in oblivionem et per maliciam eorum, qui libenter alios circumveniunt, deducuntur in questionem, contra quem morbum litterarum provide statutum est remedium, ut per litteras memoria repetatur et malignantium cavillationibus occurratur. **Omnibus** igitur huius pagine litteras legentibus vel eciam audientibus notum sit, quod ecclesia beate Virginis in Rothe domum quandam in Wische sitam **pro** domo quadam, que sita est in Mathnem, quam quidam Heinricus cognomento Conpan in feodo habuit a comite Ottone de Tekeneburgh, consentiente et annuente eodem comite cum omni utilitate et attinentiis transtulit et commutavit consentientibus ipsis Heinrici heredibus. Solvit eciam ipsa domus quinque maltia siliginis secundum mensuram curtis in Linge. Ut autem **id** fieret, date sunt eidem Heinrico viii marce Monasteriensis monete. Actum **hoc** publice in cimiterio Buren, presente tota parrochia. Sciant eciam **presentes** et posteri, quod quidam Meinzo cognomento Ruse, qui eandem **domum** coluit, libere et absolute in manus Heinrici prioris resignavit, consentiente patre suo et fratribus, uxore et filiis, presente villico Timmone et tota **parrochia**. Ad huius rei testimonium confirmandum hoc manuscriptum **sigilli** sui impressione confirmavit dominus Otto comes Tekeneburgensis. Actum anno incarnationis dominice millesimo ducentesimo vice-simo iii. Testes **huius** confirmationis sunt Gozwinus notarius comitis de Tekeneburgh, Willibellus sacerdos de Saltesberg, Rulandus sacerdos de Buren et Bertoldus cappellanus eius, Johannes monachus sacerdotes; Bernardus dapifer comitis de Tekeneburgh, Godeschalcus iunior advocatus ecclesie, Cunradus de Bruchterbecke, Teodericus de Horne, Bernardus de Bramhorne, insuper tota **parrochia** in Buren.

Orig. Siegel ab. Rückschrift: 1. des 15. Jhdts.: To Buren; 2. des 16. Jhdts.: Madenheym to Buren. IX. Rep. I. 30. Fast dieselbe Arenga in Urf. 12.

reis
steinfurt
S 255